

78 N 1 [33]

1978

N

1

(33)

FELICITAS  
 SERENISSIMI ET POTENTISSIMI PRINCIPIS  
 AC DOMINI  
 DOMINI  
 JOHANNIS GEOR-  
 GII PRIMI

DUCIS SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ  
 ET MONTIUM, SACRI ROMANI IMPERII ARCHI-  
 MARSCHALLI ET IN ELECTORALI COLLEGIO SENIO-  
 RIS, LANDGRAVII THURINGIÆ, MARCHIONIS MISNIÆ,  
 SUPERIORIS AC INFERIORIS LUSATIÆ, BERGGRAVII MAGDEBUR-  
 GENSIS, COMITIS IN MARCA ET RAVENSBURG,  
 DOMINI IN RAVENSTEIN.

ADVMBRATA

ET

AVTHORITATE IVSSVQVE

UNIVERSITATIS WITTEBERGENSIS  
 INCLUTÆ

IN AUDITORIO MAJORI

QUINTO POST FUNERATIONEM DIE

ORATIONE PVBLICA EXPOSITA

M. CHRISTIANO LYSERO LIPSIENSI,  
 SERENISS: SAX: ELECTORIS ALUMNO ET COLLEGII PHILOSOPHICI  
 ADJUNCTO.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI Academ. Typogr.  
 ANNO M DC LVII.



Kapsel 78 N 1 [33]

X 3033215

AK



PATRIÆ PATRIS  
FILIIS  
AVITÆ GLORIÆ ET VIRTVTIS ÆMVLIS  
FELICISSIMIS  
SERENISSIMIS, CELSISSIMISQ; PRINCIPIBUS  
AC DOMINIS  
DOMINIS  
JOHANNI GEORGIO II.  
S. ROM. IMPERII ARCHIMARSCHALLO,  
ELECTORI ET HOC TEMPORE VICARIO AC  
BURGGRAVIO MAGDEBURGENSI.

AUGUSTO  
POSTULATO ADMINISTRATORI PRIMATUS  
ET ARCHIEPISCOPATUS MAG-  
DEBURGENSIS.

CHRISTIANO  
POSTULATO ADMINISTRATORI EPISCO-  
PATUS MARTISBURGENSIS

MAURITIO  
POSTULATO ADMINISTRATORI EPISCO-  
PATUS NUMBURGENSIS ET CIZENSIS AC  
BALLAVIATUS THURINGICI

DUCEBUS SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ AC  
MONTIUM, LANDGRAVIS THURINGIÆ, MARCHIO-  
NIBUS MISNIÆ ET UTRISQUE LUSATIÆ, COMITIBUS IN  
MARCA ET RAVENSBURG, DYNASTIS IN  
RAVENSTEIN


DOMINIS MEIS CLEMENTISSIMIS

FELICITATIS PATERNÆ

ADUMBRATIONEM  
HUMILITER AC SUBMISSE  
DICAT ET CONSECRAT

M. CHRISTIANUS LYSERUS LIPSIENSIS.





I. N. J.

Rector Magnifice, Viri Reverendi admodum, Amplissimi, Consultissimi, Experientissimi, Excellentissimi, Prudentissimi, Reverendi & Clarissimi, Tuq; circumfusa Studiosæ Juventutis Corona Nobilissima, Florentissima.



Unctis fermè Gentibus in more positum fuit olim, Imperatorum, Regum, Principum ac Heroum fata mœrore, planctu, gemitibus & recitata virtutum eorum laude publicè venerari. Quod haud abs re factum videtur omnino. Ut enim Filij suos lugeant Parentes, Clientes suos deplorent Patronos & Benefactores, servi suos defleant Dominos ipsa implantavit natura mortalibus. Patres Patriæ sunt Boni Principes, Domini sunt, Nutritij sunt & Benefactores, dignissimi, quorum funera publico & communi planctu sequantur Boni Cives, quorum mortem non sine summâ animi conster-

B

na-



natione accipiant. Deliquia quando patiuntur Sol, Lunave, Magna illa Coeli Luminaria, horror ac sollicitudo solet occupare mentes Mortalium etiam Prudentiorum, qui illa calamitatum publicarum Præfagia fuisse non raro observarunt. Sic non nisi attoniti percipere possunt Omnes Boni Principum Optimorum mortes, quas Reipublicæ vel mutationem aliquam, vel cladem magnam, vel ipsum etiam interitum subinde portendere docet Experientia. Mirum igitur non est, quod, ut Exteros Reges ac Principes taceam, Imperator ipse ac omnes penè Imperij Romani Proceres in luctu sint & pullato incedant vestitu. Nam Sacri Romani Imperij Archimareschallus & Elector, Omnium Magnatum ætate maximus & tantum non Parens diem obiit, & Germaniam, Patriam nostram communem, Lumine ac ornamento splendidissimo orbavit. Mirum non est, quod in omnibus fere Lutheranorum Templis Campanas funus indicantes per horas integras sonare audiverimus hætenus. Nam Princeps Pijssimus, Religiosissimus



simus ac Devotissimus mortuus est, & Religionem Orthodoxam suo Propugnatore, Statore ac Defensore privavit. Nec mirum, quod nudius quintus tota Saxonia lugubri veste induta Exequias iverit, & publicum totius Patriæ Luctum officijs, quibus poterat, declaraverit. Nam Dux Saxoniae Pater Patriæ tumulo est illatus, & totus Orbis Saxonicus suo præsidio denu- datus. Nec mirum, Vos, Patres Conscri- pti, moestos, dejectos & attonitos, hæc subsellia atrato tegumento horrida quasi, & hanc Cathedram insolito appara- tu contectam & undique non nisi lugu- brem habitum conspici! Nam Mecænas Vester & Nutritius benignissimus vita functus est, & Academia suum Restaura- torum luget ac Musagetam. Id vero mi- rari quis possit, qui tanta me invaserit au- dacia, ne dicam temeritas, ut præsumse- rim feralem isthanc Cathedram conscen- dere & Laudationem funebrem JOHANNIS GEORGII Principis Optimi Maximi in Vestra præsentia dicere. JOHANNES GE- ORGIUS, qui Heroicâ animi excelsitate, Pi-



etate incredibili & Prudentiâ, Authoritate-  
que summâ Electoratu & hisce ditionibus  
ultra quadraginta quinque annos præfuit  
Gubernator Clementissimus & eâ propter  
nullâ unquam ætate silendus sed ob exem-  
pla maxima, quæ dedit, sæpius & nunquam  
sine summis laudibus commemorandus  
Princeps Morte occubuit. Ejus laudes,  
quibus integri deberentur Annales, in con-  
fessu splendidissimo & frequentissimo Vi-  
rorum Excellentissimorum & Commili-  
tonum Clarissimorum decantandæ sunt.  
mihi non Oratori sed ab hujus studij exer-  
cizio dudum remoto : illud moeroris &  
tantum non lacrymarum; hoc terroris &  
consternationis incentivum non leve-  
mentem vel constantissimam & in dicen-  
do promptissimam perturbare valeret & à  
proposito deterrere. At Pietas & Grati-  
tudo erga Beatissimos Electoris Manes &  
Vestra, Patres Academici, Authoritas ve-  
neranda effecit, ut solenne ac postremum  
Pietatis Officium, quod Nutritio meo  
Clementissimo tribuere possum, in Divini  
hujus Principis honorem ac memoriam  
paren-



parentatione publicâ exequendum intrepido susceperim animo, nullus dubitans, quin de Principis Optimi ac Religiosissimi Laudibus Vestro jussu paucis differentem benivolè sitis audituri, & non tam sermonis mei rigidi Censores, quam Virtutis JOHANNIS GEORGII & felicitatis futuri sitis Admiratores.

Omnino Beatus nunc est JOHANNES GEORGIUS, qui mortem naturalem cum æternâ vitâ, & vitam Caducam cum Immortalitate permutavit & ex continuo Invisibilis Dei adspectu æternis nunc fruitur gaudijs. At nec, opinor, deneganda erit Electori Serenissimo dum in vivis esset, omnis felicitas, omnis beatitudo. Si namque Majorum Splendor, si Soboles Copiosa, si Amplitudo Imperij, si Dignitas & Virtus homines reddit felices, certe Noster JOHANNES GEORGIUS mortalium omnium Felicissimus & Beatissimus erit censendus. Quintum Metellum à primo Originis die ad ultimum usq; fati tempus nunquam cessante indulgentiâ ad summum beatæ vitæ cumulum perductum

C

ductum



ductum à Fortunâ alias volubili Romanorum memorant Annales. Nasci enim in Urbe terrarum Principe voluit; Parentes ei Nobilissimos dedit; adjecit Animi rarissimas dotes & Corporis vires, ut sufficere posset laboribus; Uxorem pudiciâ & foecunditate conspicuam conciliavit; Consulatus Decus, & Imperatoriam potestatem largita est; fecit ut eodem tempore tres Filios Consulares, Unum etiam Censorium, duos Triumphales & quartum Prætorium videret; ut tres Filias nuptui daret, earumq; sobolem sinu suo exciperet; Imo hunc vitæ actum ei consentaneus excepit finis. Nam Quintum Metellum ultimæ Senectutis spatio defunctum, leniq; genere mortis inter oscula complexusq; charissimorum pignorum extinctum, Filij & Generi humeris suis per urbem latum rogo imposuerunt. Magna fanè Felicitas hæc est & rara, cujus exempla reperies non adeò multa. Deprehendes tamen eandem si non majorem in nostro JOHANNE GEORGIO, quem à Deo benignissimo ab ipsâ nativitate ad extremum



mum usque vitæ terminum per multos  
beneficiorum divinatorum gradus ad sum-  
mam, in hac vita quæ potest contingere,  
felicitatem censemus perductum. Voluit  
enim Deus Ter Optimus Maximus, ut  
primam Lucem aspiceret in nobilissimâ  
totius Terrarum Orbis parte, Europâ; in  
latisimâ ejusdem Provinciâ, Germania;  
in optimâ & Soli Orthodoxæ Religioni  
adhærente Regione, Misniâ. Parentes ac  
Majores ei dedit Illustrissimos & per to-  
tum mundum famâ celeberrimos. Ani-  
mo ditavit præclaro, omnibus regijs Vir-  
tutibus instructo, & memoriâ ad stuporem  
tenacissimâ. Honores illi decrevit Ele-  
ctoratum & Vicariatum Imperij Roma-  
ni splendidissimos. Uxorem ad sociavit  
Pietate, Castitate & Fœcunditate, plerasq;  
sui Sexus antecellentem. Filios Quatuor  
dedit in summâ authoritate & dignitate  
Romani Imperij constitutos; Filias autem  
Tres Principibus Illustrissimis nuptui da-  
tas, ex quibus multæ sobolis Parens com-  
munis factus est. Protexit eum clemen-  
tissimè in multis periculis ac infidijs; & Pace



Imperio Romano ejusq; Ditionibus red-  
ditâ summè senem placidissimo mortis ge-  
nere diem obire voluit; imò, quod primo  
loco convenisset recensere, in verâ Pietate  
& orthodoxa Religione natum ad extre-  
mum usq; vitæ conservavit halitum. Hæc  
si justa Oratione complecti, vel præcipua  
saltem commemorare vellem, ne dicam  
exornare aut illustrare, non sufficeret dies  
integer; nec Oratio mihi esset scribenda,  
sed prolixæ historiæ Commentarij  
consignandi, & tamen verendum in super-  
ne, dum omnia dixisse mihi viderer, Vos,  
Patres Conscripti, multo plura à me præ-  
termissa sine negotio ex Vestra memoria  
possetis depromere. Quare pauca &  
& quidem in Compendio expositurus  
sum, ex quibus cuiusvis conjectura erit faci-  
lis, JOHANNEM GEORGIUM, dum viveret,  
fuisse beatum, felicem, fortunatum! Ori-  
ginem suam JOHANNES GEORGIUS I. acce-  
pit à Familia Ducum Saxonie Augustissi-  
ma, quæ nec taceri nunc debet ob sum-  
mum, quem in Germania consequuta est,  
Splendorem, nec satis, quantum meretur,  
à me



â me poterit commendari. Antiquitatem  
desideras? Supra Octingentorum retro  
Annorum vetustatem affurgit, & affurge-  
ret altius, nisi injuria temporum vel incu-  
riâ Majorum nostrorum ortus hujus, æq;  
ut aliarum in Germaniâ Illustrum Famili-  
arum, ignoraretur. Dignitatem exigis? De-  
dit ista Saxonum Gens Imperio Romano  
Cæsares, Regno Daniae Reges, toti Orbi  
Christiano Romanos Pontifices; dedit  
Electores, ArchiEpiscopos, Principes,  
Episcopos, Landgravios, Burggravios,  
Comites ac Dominos, & nulla fere digni-  
tas in Imperio Romano poterit recenferi,  
quam non Gentem istam aliquando obiis-  
se, historiæ loquantur. Amplitudinem spe-  
ctas? In plurimas familias Lavvenburgi-  
cam, Altenburgensem, Vinariensem &  
Gothanam, hæc gens est distincta; ut ta-  
ceam illas affinitates, quas cum omnibus  
penè imperij Electoribus ac Principibus,  
imò exteris etiam Regibus contraxisse no-  
tum est. Potentiam quæris? Illa ditiones  
in Germania possedit, & etiamnum obti-  
net amplissimas, fertilissimas, hominum  
omni-

D

omni-



omniumq; rerum abundantia adeoq; clara,  
ut paucis in Germania cedat, & tantum  
non omnibus videatur anteferenda.  
Si decora gentis postulas? Tot Heroas  
dedit, tot Principes prudentia, pietate, ar-  
mis togaq; insignes, ut splendorem istum  
Illi hæreditarium censere possis. Prolixum  
foret numerare Wittekindos, ultimos Sa-  
xonix Reges; Henricum Aucupem Ot-  
tones I. II. & III. Imperatores, tot Reges  
Daniae, tot Duces Sabaudix, Principes  
Montisferrati, tot Duces ac Electores Sa-  
xonix, Fridericos, Albertos, Georgios,  
Henricos, aliosq;, quorum virtus eximia,  
sapientia inter mortales rara, pietas infi-  
gnis & magnanimitas planè Leonina per  
Europam disseminata, perq; Literarum  
monumenta nunquam interitura ætati  
jam dudum consecrata, tantum decorem  
in domum Saxoniam intulerunt, ut vel  
splendidissima omnium iudicio censi  
possit. Vivit adhuc (ut remotiora nunc  
omittam) & in terris nostris decantatis-  
sima est divina virtus MAURITII Electoris,  
Maximi suo seculo Principis, qui rerum  
gesta-



gestarum Amplitudine, Prudentia, Felicitate & incredibili Celeritate maximos, ex totâ antiquitate Heroas vel expresit vel superavit, ut ejus facinora nemo sine stupore cogitare queat: Turcis ac Barbaris terrorem, Imperatori & Pontificiorum Decretorum Exequutoribus formidinem, Gallis tremorem incusit tantum, ut ad nomen ejus hostes cuncti exhorrescerent, omnes Ipsum agnoscerent Victorem, tranquillitatis in Imperio publicæ & Libertatis Germaniæ Restauratorem & Pacis sacræ Passaviensis Procuratorem, dignissimum Heroem, cui Electoralis Dignitas à Carolo V. Invictissimo Imperatore restitueretur. Vivit adhuc Fratris ejus AUGUSTI fama immortalis, qui defuncti nostri Electoris Avus, verè Augustus, pius & pacificus, Saluberrimis suis consiliis & auxilijs motus in Germania excitatos heroicè compresit, Imperatori Majestatem, Germaniæ pacem & quietem restituit. In Ecclesiam verò orthodoxam tanta ejus extant merita, ut eadem verbis dignè satis exprimere nemo valeat. Aca-



demias restauravit, Professoribus & Eccle-  
siarum Scholarumq; Ministris salaria au-  
xit, & viduis eorum ac pupillis, ut ne ege-  
rent, prospexit, studia literarum ac bona-  
rum artium, imprimis Orthodoxæ & pu-  
rioris Theologiæ multis Stipendijs consti-  
tutis promovit; Contentiones Ecclesiæ  
doctorum compescuit, & profligatis Lu-  
pis Calvinianis, alijsq;, & aureo illo Con-  
cordiæ libro promulgato tantis beneficijs  
affecit Ecclesiam, ut magis florentem post  
repurgationem à Lutherò factam, nemo  
unquam deprehenderit. Vivit etiamnum  
& claret illustris memoria CHRISTIANI I.  
& II. Ille defuncti nostri Electoris Pater,  
Princeps Animi Magnitudine, Prudentiâ,  
Autoritate, Lenitate ac Pietate nulli Ma-  
jorum secundus, in ipso penè regiminis pri-  
mordio morte immatura nimis fragilitati  
communi exemptus est; Hic verò defuncti  
Frater Zelo Pietatis & Religionis Orthodo-  
xæ omnibus anteferendus, non modo suas  
ditiones à fermento Calviniano repurga-  
vit, & omnes suos Consiliarios ac Mini-  
stros Ecclesiasticos pariter ac Politicos ad  
Reli-



Religionem Lutheranam & Orthodoxam in Libro Concordiæ comprehensam sincerè asserendam juramento adstrinxit, sed & exteris Bohemis, Silesijs ac Moravis liberum religionis exercitium seu Literas Majestatis, ut appellant, à Rudolpho II. Imperatore autoritate suâ & intercessione impetravit & exoravit. Tantis igitur Majoribus, tot Heroibus, quid nasci potuit nisi magnus Heros, Princeps Pijssimus, JOHANNES GEORGIUS, qui in lucem editus est Dresdæ in arce Electorali anno supra millesimum, quingentesimum octogesimo quinto, tertio Nonarum Martij. Patre CHRISTIANO I. Electore, Matre SOPHIA, JOHANNIS GEORGII Marchionis & Electoris Brandenburgici Filia Heroinâ generosissima & ob pietatem ac Zelum erga religionem orthodoxam sempiternâ laude digna. O Felicem Electorem nostrum, cui tam Claris Majoribus nasci contigit! O Beatum Principem, cui splendor Natalium & Familiæ amplitudo pulchritudinem ac dignitatem summam conciliavit! O fortunatum maxi-

E

mê



mè JOHANNEM GEORGIUM, qui à Paren-  
tibus & Majoribus Illustrissimis non spiri-  
tum modo traxit, & vitam, sed cum ipso  
sangvine Ingenium acre, Memoriam pla-  
ne divinam, Judicium accuratum, Pietatis  
insuper, Prudentiæ, Clementiæ & omni-  
um præclarissimarum virtutum semina  
hæreditario quasi jure in se accepit trans-  
fusa. Omitto nunc, quantas res gesserit.  
JOHANNES GEORGIUS puer & adole-  
scens; quanta & quam egregia Ingenij sui  
divini ac generosæ Indolis dederit speci-  
mina; qui in negotijs suscipiendis alacer, in  
persequendis industrius, & in conficiendis  
expeditus fuerit, & talem ubiq; se gesserit,  
ut quivis facile in Eò deprehendere potu-  
erit ingenium ad quævis summa & Rei-  
publ. Governatore digna natum & forma-  
tum. Id tamen silentio involvendum haud  
est, Memoriam Illi à Deo inditam fuisse  
talem, quam in homine vix reperies. Char-  
midem Græcum eâ memoriæ vi præditum  
admiratur Naturalis historiæ conditor,  
ut quoscunq; libros in Bibliotheca legisset,  
eos confestim memoriter potuerit recita-  
re. At



re. At JOHANNES GEORGIUS ab ipsa infantia ad extremam usq; senectutem memoriã pollebat tenacissima. Quæ multis retro annis legendo vel audiendo acceperat, recitare solebat ac si modo sensibus essent obvia; quem ante viginti pluresve annos vel semel tantum viderat, eum de facie cognoscebat, ejusq; nomen valebat exprimere. Erat Beatissimus Princeps Annalium instar Vivorum, ut quæ in Imperio, quæ in Provincijs ipsi subjectis, quæ publicè, quæ privatim, gesta desiderares, ipse divinâ & nunquam fallente memoriã te edocere quoad singula accuratè potuerit. Hæc igitur naturæ dona divinitus concessa ut augeret indies & in usum Reipubl. verteret, id pensi habebat maximè, ut gubernandæ Reipubl. formam, Justitiæ regulam & Justæ moderationis in regendis aliquando subditis modum, & ea singula addisceret, unde aliquando universæ Patriæ sciret prodesse. Hinc maximè delectabatur conversatione cum Viris solertissimis ac spectatissimis Morum ac studiorum Magistris aulicis, sibi à Tutore Serenissimo as-



signatis, quorum ductu & auspicijs in pietate, moribus, prudentiâ, alijsq; tam animi, quàm corporis exercitijs, quæ Principem decebant, multum proficiebat. Nihil tamen sibi videbatur profecisse, nullamq; Prudentiam ac Rerum publ. regendarum Scientiam sibi acquisivisse, nisi id, quod domi cognoverat, per Peregrinationem augetet ac perficeret. Sciebat enim perbenè, quantum juvaret Principem peragrassè peregrinas regiones, lustrassè celebriores Urbes, visitassè homines eruditos, vidissè aulas Principum & cognovissè Leges, Instituta, mores, ac consuetudines aliarum Gentium. Quare XVII. ætatis anno Dresdâ relicta nobiliores Germaniæ Superioris urbes peragravit; inde Italiam petiit & dissimulatâ plerumq; personâ, salutatis non paucis Italiæ Principibus & Rebus publ. & perlustratis Venetijs Potentissimis, Veronâ Magnificentissima, Mediolano Munitissimo, Roma, ut ajunt, Sanctissima, Florentia Elegantissima alijsq; nobilioribus Locis tandem sequenti anno domum redijt, reportans inde non impietatem, non



non insolentiam aut novitatem vestitus;  
non morum vitæq; dissolutionem, aliave,  
quæ Majores ejus pariter ac Ipse maxime  
sunt detestati; sed Pietatem, Odium ad-  
versus Idolatriam Pontificiam, notitiam  
Lingvæ Italicæ, Prudentiam, modumque  
ac rationem tum se ipsum, tum alios regen-  
di & ijs imperandi. His instructus orna-  
mentis dignissimus erat Princeps noster,  
qui imperaret, qui provinciam guberna-  
ret, qui orbi Saxonico, ne dicam Germa-  
nico præficeretur. At deerat occasio suf-  
ficiens exerendi dotes hæc. Latebant  
eæ maximam partem, nec erumpere in fa-  
mam & exprimi ante poterant, quam  
mortuo fratre CHRISTIANO II. in theatrum  
quasi produceretur, ubi Electoris & pater-  
narum provinciarum Gubernatoris susci-  
pere & representare debebat personam;  
tùm, quæ latuerant, plenis emanabant un-  
dis & in admirationem rapiabant omnes;  
videbatur enim natura vim sibi fecisse, &  
in eò absolvisse, quod in alijs inchoavit;  
quæ divisim alibi Laribus habitabant virtu-  
tes, in uno hoc capite conjunctam sedem  
F fixisse



fixisse videbantur. De pietate & verâ  
Religione ut initium faciam, tantum abest,  
ut Serenissimus JOHANNES GEORGIUS ex  
abominationum Papisticarum intuitu &  
blasphemiâ Calvinianarum auditu ad  
eas approbandas vel minimum fuerit per-  
motus, ut potius eas averfaretur tanto ma-  
gis & execraretur, quantô longius à fide ve-  
râ & orthodoxa videbat recedere. Hinc  
quam ex Matre Pientissima cum ipso la-  
cte hauserat Pietatem; quam ex concio-  
nibus publicis & privata informatione  
Beati Lyseri addicerat veritatem Christia-  
nam, & ascito Symbolo: SCOPUS VITÆ MEÆ  
CHRISTUS: professus fuerat; quem in Ma-  
tre & in Tutore suo Christianissimo Prin-  
cipe FRIDERICO WILHELMO, Duce  
Saxoniae, augustæ recordationis Admini-  
stratore deprehenderat Zelum pro repur-  
gandâ ab hæreticis & heterodoxis regio-  
ne, ea omnia ad ultimum usque vitæ hali-  
tum tenuit & conservavit, adeo ut etiam in  
agone constitutus non semel exclamave-  
rit: JESUM MEUM NON DESERO. Nostis,  
Patres Conscripti, quam præclara Pietatis  
edide-



ediderit documenta, ex quo ipsum ad Reipubl. Germanicæ clavum asfidere contigit. Nostri, quantis illicitis tentatus sit, ut partibus Pontificiorum accederet, qui tamen nullas, nisi orthodoxæ veritatis partes sibi adoptandas semper putavit. Nostis quàm verè ac sincerè semper de Religione orthodoxâ senserit, quantum hæreses, schismata & sectas averfatus sit, ut nulli omninò heterodoxo seu publicum seu privatum Religionis exercitium in suis ditionibus permiserit; Nostis quantos labores, quantas vigilias, quanta bella, & persequutiones propter Religionem sustinuerit, quanta pietate, & devotione ipse Sacra tractaverit, & subditos itidem pios ac religiosos ut haberet, laboraverit. Testantur id ipsum tot Leges Ecclesiasticæ, quas partim novas ipse tulit, partim à Majoribus latas confirmavit. Testantur mandata Electoralia Ministris Ecclesiæ præscripta de Concionibus Pœnitentialibus, singulis septimanis habendis, de publicis Precibus quotidie instituendis, & nulla re omittenda, quæ sincerum Dei cul-



tum ullo modo possit promovere. Testantur edicta JOHANNIS GEORGII & adhortationes de frequentandis concionibus & precibus publicis, de omittendis diebus Solis & Festis laboribus minus necessarijs, de suspendendis omnibus actionibus judiciarijs seu forensibus, venditionibus, emptionibus alijsq; toto illo, quod concionibus poenitentialibus audiendis destinatum erat tempore. Testantur tria illa solennia Jubilæa in laudem Dei optimi M. & memoriam tum abrogati Papatus, tum oblatae Augustanae Confessionis, tum sancitæ Pacis Religiosæ, ab Electore nostro Serenissimo instituta & à toto Orbe Lutherano celebrata. Dissensiones inter Orthodoxos exortas per Theologos suos, quos alebat Ipse præcellentissimos & famigeratissimos, editis publicis suo nomine scriptis composuit. Controversias Calvinianas instituto Conventu Lipsiensi dirimere tentavit. Pontificiorum & imprimis Jesuitarum calumnias, in Lutheranos quas eomebant, aureis illis Pupillæ Evangelicæ, ejusque Apologiæ libris absterfit. Quin imo postquam



quam precibus & intercessionibus pro Statibus Evangelicis restituendis & pro abrogando Edicto ab Imperatore de restitutione Bonorum Ecclesiasticorum & fructuum inde perceptorum promulgato omnes benevolentiae clauderentur fores, non dubitavit, contra Pontificiorum Ligam Bona Ecclesiastica vi repetentem, & religionem orthodoxam funditus eradicare conantem, arma capere, bello illatam vim propulsare, & suas regiones, imò se ipsum & vitam ac fortunam propter solam Religionem & verum Dei cultum periculis exponere praesentissimis. Porro Prudentiam JOHANNIS GEORGII ubi confidero videor mihi amplissimum ingressus hortum arboribus undique confitum, ex quibus carpere quidem possum varios fructus, omnes à decerpere nec unius fit hominis, nec unius diei negotium. Vivo adhuc & regnante Fratre CHRISTIANO II. Noster JOHANNES GEORGIUS jam dum multis intererat consultationibus gravissimis; comitatus erat fratrem Electorem Pragae cum potentissimo Imperatore  
G RUDOL-



RUDOLPHO II. de gravissimis Imperij negotijs sententias collaturum; Arcana Imperij Romani, morem gubernandi provincias, jus dicendi & quæ insuper necessaria sunt ijs, qui iusta & utilia suis aliquando prescribere volunt, contubernium Fratris docuerat. His instructus praesidijs Electoratum adiit & tantâ prudentiâ, tam circumspecte ac provide per annos XLV. administravit, ut totius Imperij Romani & omnium Exterorum admirationem in se converterit. Cum enim Prudentia nostra nihil aliud sit, quam eventorum observatio & rerum praesentium ac futurarum ex praeteritis petita scientia, quis prudentiorem Principem dixerit JOHANNES GEORGIO, qui longæ experientiae disciplinis instructus, omnes in Imperio res gestas ex admiranda nunquam fallente memoriâ depromere valebat. Hoc Cives, Exteri, Oratores, Principes ac Reges sæpe cum stupore suspexere. Historiam veterem ac recentem tenebat, si quisquam! Politices tantum in eo erat, quantum in multis quæras frustra; Sagacitate, Judicio, futuri prospici-



spicientia pariter admirandus erat. Nihil unquam aggrediebatur nisi deliberatum probè. Cautus erat in Consilij ferendis & circumspectus. Non numerabat vota suorum Consiliariorum, nec facilè probabat, sed præsentia ponderabat, & examinabat futura. Consilia constituerat plurima. Intimum, Camerae, Aulicum, & Ecclesiasticum, quibus omnibus ipse præerat, nec permittebat, ut res alicujus momenti ipso nesciente & non subscribente decideretur aut decisa promulgaretur. Nota erat per totum Imperium rara & exquisita ejus Prudentia, ideo in Comitij vel Electorum aut Principum Conventibus verba ejus habebantur Oracula & sententiæ ejus nemo facilè contradicebat. Arbitro inter Principes ubi opus esset, alius præter Electorem nostrum quærendus non erat. Nec major enim Prudentia alibi poterat reperiri, nec Autoritas utilior. Illam Indoles acerrima & incredibilis Judicij vis finxerat & tot annorum experimenta omni ex parte muniverant; Hanc meritorum, quæ nemo unquam capiet satis, Ex-

G 2

cellen-



cellentia, partaq; tot gestis maximis rebus  
inufitata Gloria formaverat, & sacrosan-  
cta illa Canities roboraverat. Incidit in  
ejus tempora Exauctoratio Ferdinandi II.  
Bohemiæ Regis, cujus Corona à Bohemiæ  
Proceribus Electori nostro Potentissimo  
offerebatur. At præfagire videbatur  
Providissimus futurorum Animus, fini-  
strum horum conatum successum & ma-  
xima inde secutura mala & incommoda.  
Quare saniora arripiebat Consilia, tutiora  
potius sequebatur, quam fervidiora, & sce-  
ptrum oblatum recusando; Palatinum, ut  
à ceptis desisteret, hortando; & Lusatos,  
Silesiosq; ad obedientiam reducendo, Fi-  
dem Pariter suam Imperatori, & Pruden-  
tiam omnibus Imperij Statibus, & rebelli-  
bus Autoritatem singulari animi modera-  
tione temperatam commendabat. Non  
enim Prudens tantum erat Elector noster,  
non cautus modo, sed ista virtus erat tem-  
perata insuper & quasi permixta alijs regijs  
virtutibus, imprimis Humilitate & sui ipsi-  
us Agnitione. Princeps erat ad quævis sum-  
manatus, & maximam in Imperio nostro  
confe-



consequutus erat Potentiam non minus  
quàm Authoritatem, non tamen hisce ef-  
ferebatur, non appetebat aliena, quin po-  
tius Regiam dignitatem, quâ quidem di-  
gnissimus erat, declinabat tamen, fatius  
existimans Regiones à Majoribus justè ac-  
ceptas tueri & in pace servare, quam alie-  
nis injustè inhiando suas amissionis expo-  
nere periculo. Porro Justissimus erat Prin-  
ceps, nemini ipse inferebat injuriam, nec  
ut à suis id fieret, permittebat, illatam verò  
vindicabat severè; Legum custos erat fan-  
ctissimus & Juris diribitor æquisimus, non  
personas, non divitias, sed solas leges indi-  
cendo jure spectabat, suum cuiq; tribuens  
& bonis præmia, flagitiosis poenas defini-  
ens. Hinc est quod per multas leges &  
constitutiones, tum processum, tum sum-  
tus, tum legum explicationem determi-  
nantes, tulerit; quod constituerit, vel con-  
firmaverit tot Dicastria, Scabinatus &  
Collegia optimorum Jurisconsultorum;  
quod in omnibus Pagis, Castris & Urbibus,  
Magistratus ordinaverit, viros probos, bo-  
nos, & honestos, à quibus ad Dicastria &  
H tandem



tandem ad ipsum Serenissimum fontibus  
appellare permissum. Nulla in imperio  
provincia, imo nulla in toto mundo no-  
minari poterit regio, in quâ tam conveni-  
enter tantoq; ordine processus, & quæ ad  
justitiam faciunt, definita sint, quantum  
quidem in Saxoniâ reperies. Quid nunc di-  
cam de Magnanimitate Principis nostri,  
quam commendabat vultus semper in tre-  
pidus, directus & intentus excelsi animi in-  
dex; Nec ferre poterat, qui verecundo ni-  
mis & pavido animo ac demissis oculis  
ejus Majestatem venerarentur, vel præte-  
reuntem intuerentur. Facies quidem  
Majestatem presentabat, non tamen auste-  
ram sed placidam, & tanta Comitatus con-  
ditam, ut plus ne venerationis an amoris  
inspirarent vividi isti oculi & vultus prin-  
cipe dignus dubitare posses. Nullum fa-  
cilè formidabat periculum, sed pro Reli-  
gione & pro Regione suâ vitam ipsam pe-  
riculo exponere non verebatur. Bellis,  
quæ gerebat, ipse intererat, ipse præerat.  
militibus Dux & Capitaneus supremus, suâ  
præsentia & fortitudine militum animos  
exci-



excitans, quippe qui non ignorabat, quantum ad victoriam facere soleat, ubi miles sub oculis sui Principis pugnaturus sit, præcipuè quando res paulò desperatior est. Tillius Ligistici exercitus Dux, postquam barbaricæ crudelitatis specimen Magdeburgi exhibuisset, intraverat Misniã, Lipsiam aliasque non ignobiles urbes occupaverat, executurus iniquissima Imperatoris & Confoederatorum Pontificiorum decreta; Pappenheimium insuper imperterriti animi & præcipuæ in Germaniã famæ bellatorem cum duratis bello legionibus in partem operis & gloriæ non tam ad ambiguum, quàm ad certam victoriam advocaverat. At Elector Serenissimus, quæ erat animi magnitudine, non dubitabat milites suos, noviter licet conscriptos, adscitis etiam copijs Potentissimi Sueciæ Regis exercitui maximo & victorijs adfucto opponere. Acriter diu pugnatum est. Elector, licet ventum haberet adversum & omnis Tillianus & Fürstenbergicus exercitus in ejus legiones incurfaret, fortiter tamen eorum impetum sustinuit, & aliquo-



ties redintegrato prælio pugnavit, donec  
adjutus à Socijs victoriam utut non incru-  
entam reportaret. Nec v. victoria una  
contentus erat magnus ille animus, plus ul-  
tra progrediendum erat & fortunâ uten-  
dum. Intrabat Serenissimus cum exerci-  
tu Bohemiam, & plerasque illius urbes, i-  
psum etiam regni caput, occupabat, Vi-  
ctoria Victoriam comitabatur. Hæc a Ani-  
mi Generofitas non impediebat, quo mi-  
nus ipse Pacis esset amantissimus & Con-  
cordiæ observantissimus. Non capiebat  
arma, nisi extremè lacesitus, nisi omnibus  
pacis remedijs denegatis; coetera quietem  
reipubl. etiam inter concitatisimas præli-  
orum procellas desiderabat maximè, pa-  
cem colebat ipse sanctissimè, & ut alij ser-  
varent, hortator erat & instigator. Bre-  
vitati opera danda est, ne abutar vestra,  
A. in audiendo patientiâ ideoque hujus  
ut & aliarum virtutum exempla, quæ ad-  
ducere possem multa, sed nec vobis, Au-  
ditores, ignota, nunc non attingam, sicut  
nec reliquas, quibus claruit JOHANNES  
GEORGIUS, virtutes, Humanitatem erga  
subdi-



subditos, Candorem, Veracitatem, Con-  
stantiam, Patientiam, Castitatem, Man-  
suetudinem, Sollicitudinem, & inæstima-  
bilem curam tuendæ religionis, custodi-  
endæ æquitatis & servandæ quietis ac tran-  
quillitatis publicæ. Hæc omnia prolixè,  
prout merentur, explicare historicorum  
munus est, quod meum nunc non facio;  
non tamen in præsentia præterire licebit.  
Liberalitatem ejus & Munificentiam, cu-  
jus fontes omnibus benè meritis eorumq;  
posteris, omnibus bonis & pijs, sine tamen  
inconsulta vel ad inanem ostentationem  
comparata profusione, referavit, nulli oc-  
cludit. Considerate, quæso, A. quantos  
sumtus fecerit in bellum illud diuturnum  
nimis pro Deo & verâ Religione susce-  
ptum; quantas pecunias impenderit lega-  
tionibus ad Imperatorem pro restitutione  
Evangelicorum missis; quantum argenti  
erogaverit ad templa, scholas, aliaq; ædifi-  
cia sacra reparanda vel denuò extruenda;  
quanta impendia destinaverit Extorribus  
& ob religionem orthodoxam Exulibus.  
Quibus pedem in proprijs sedibus non li-  
cebat



cebat ponere, hos recipiebat, pagos, urbes, domos, stipendia illis assignabat. Non equidem nunc exequar prolixè, quanta in cives ac subditos suos Elector Illustris: contulerit beneficia, Res ipsa loquitur. Pauci imò ferè nullus ex subditis ejus dicere poterit, se suos veni nihil unquam ex aëario Principis accepisse, aut ejus, quod illi inferendum erat, remissionem non impetrasse; id tantùm in præsentia pronunciare licebit; Munificentiam JOHANNIS GEORGII in hanc Academiam quam exeruit tantam esse, ut dignè satis ea nunquam prædicari queat. Vos, Patres Venerandi, dicite ipsimet, me namq; multa latere lubens fateor, dicite quanta in Vos contulerit beneficia Elector Sereniss: Si rectè memini JOHANNES GEORGIUS & veteribus Vestris ac senescentibus Privilegijs Spiritum reddidit, & novarum gratiâ Vos exhilaravit; Immunitatem Vobis dedit ab hospitatione militum, à solutione vectigalium, ab intributione militari & alijs oneribus ac muneribus civilibus; salaria Vestra novis accessionibus auxit; reditus bello direptos restituit; aëarium



rium locupletavit, multam pecuniæ sum-  
mam ex Stipendijs Studioforum residuam  
Vobis assignavit, feudo nobili Vos investi-  
vit, frugum copiam non exiguam Vobis  
in annos singulos decrevit, & quæ alia sex-  
centa sunt, quæ nunc recenseri nec pos-  
sunt nec debent. FRIDERICUM III. vestri  
annales prædicant, Academia hujus In-  
choatorem; JOHANNEM Conservatorem;  
JOHANNEM FRIDERICUM Fundatorem;  
MAURITIUM Instauratorem & AUGUSTUM  
Amplificatorem. Si, quod gratitudo postu-  
lat, exequi vultis, certè non poteritis non  
Electoris nostri imagini hoc adscribere  
encomium: JOHANNES GEORGIUS MA-  
GNUS STATOR LITERARUM: FELIX CON-  
SERVATOR STUDIORUM, MUSARUM OMNI-  
UM AC RELIGIONIS BENIGNUS PATRONUS,  
DEFENSOR INVICTUS; ALTER ACADEMIÆ  
HUIUS, ET MAIOR PRIORE, FUNDATOR PIUS,  
INSTAURATOR FELICISSIMUS ET AMPLIFICA-  
TOR BENIGNISSIMUS. Sed quo me proripit  
æstus animi! Liberalitas Principis Sere-  
nissimi, quam ipsemet etiam expertus sum  
prolixè & nunquam non gratâ recorda-  
tione



tione veneror, ut & aliæ ejus virtutes, licet  
tantum in tabulâ qs. depictæ diutius quam  
mens erat, me sunt remoratae, allegandæ  
tamen fuerunt omnino, ut vel hinc inno-  
tesceret, quàm felix quàm beatus Elector  
noster, dum in vivis esset, extiterit. Sum-  
mum Bonum assecutos prædicant Philo-  
sophi, qui virtutum habitus quosdam in  
summo gradu sibi acquisiverunt. Audi-  
vistis igitur felicissimum & beatissimum  
Principem, virtutibus penè infinitis sum-  
mè clarum. Observate, quæso, paucis fe-  
licitatem ejus, quam ex Conjugio, ex Pro-  
le numerosâ & ex summis quibus claruit  
Dignitatibus & in ipsâ Morte obtinuit. Pri-  
mum Conjugium quod cum SYBILLA ELI-  
SABETHA, FRIDERICI Ducis Würtembergici  
Filia, foeminâ pijsima, castissimâ inijt, læ-  
tum equidem fuit, non tamen foecundum  
nec diuturnum: Ipsa n. sterilis mox altero  
anno statione mortali decessit. Secun-  
dum verò cum MAGDALENA SYBILLA, AL-  
BERTI FRIDERICI Marchionis Brandebur-  
gici & Ducis Borussiae Filiâ tantò magis  
fortunatum fuit, & speratum, quanto diu-  
turni-



turnius extitit ac foecundius. Hæc Illustris-  
sima & maximarum virtutum Heroïna in  
suavisimâ conjugij consuetudine quin-  
quaginta penè annos cum ipso explevit, &  
X. liberorum parentem fecit, nunc unâ  
cū septem Liberis in summo luctu & dolo-  
re acerbissimo relicta est. Successorem vi-  
dere & talem qualem optes prudentiâ, pie-  
tate, alijsq; virtutibus heroïcis, Antecesso-  
ribus si non majorem certè parem, quod  
ad felicitatem robur quod pondus addit?  
Tutissima certè & felicissima Majestas  
Principis est herede suo innixi. At Elector  
noster non unum tantum vidit heredem,  
sed quatuor Principibus masculis tanquam  
firmis fulcris Domum Electora-  
lem Saxoniam statuminauit, ut æternitati  
minari videatur. Meritò JOHANNES GEOR-  
GIUS II. nominis & dignitatum paternarum  
heros audit, Elector, Imperij Archimar-  
schallus, & Burggravius Magdeburgensis;  
Meritò AUGUSTUS Archiepiscopatus Mag-  
deburgensis Postulatus est, Administrator  
& totius Romani Imperij Primas. Meritò  
CHRISTIANUS electus est Episcopatus Mar-  
tisbur-

K

tisbur-



tisburgensis Administrator. Meritò MAURITIO adsignata est Episcopatus Naumburgensis & Cizensis, ac Ballaviatus Thuringici Administratio. Omnes enim ad ævidecus nati & paternarum virtutum exasse quasi hæredes dignissimi sunt, quibus dignitates in Imperio nostro amplissimæ conferantur. Taceo nunc Regias & Principes familias, Danicam, Holfaticam, Hasfiacam & Saxo-Altenburgicam, cum quibus per Filias novas contraxit affinitates. Taceo progeniem copiosam, quam vidit Elector, octaginta liberorum Illustrium Parens & Author. Ad Dignitates ut deveniam, omnes quæ modocunque Principi Viro obtingere possunt, JOHANNI GEORGIO videmus collatas, aut ad minimum oblatas. Natus erat Dux Saxonix, Julix, Clivix, & Montium, Landgravius Thuringix, Marchio Misnix, Comes de Marca & Ravensberg Dominus in Ravenstein. Creatus erat Episcopus Misnensis, Numburgensis & Martisburgensis; constitutus erat Burggravius Magdeburgensis, & Sacri Romani Imperij Archimarschal-



Schallus & Elector. Deum immortalem!  
quanta nomina! quantos titulos! quantos  
honores Principi nostro assignavimus!  
Quid putatis, Auditores, deesse huic no-  
stro quo minus in supremum honoris fasti-  
gium collocatum dicamus? Regiam digni-  
tatem? & hæc oblata erat à Bohemis Fer-  
dinando II abrogato; & ipsi Electores Re-  
ges sunt in suis territorijs, Reges sunt in Im-  
perio & regalia obtinent, potestatem ha-  
bent ipsum Romanum Imperatorem &  
Regem eligendi pariter & degradandi. Im-  
peratoriam Majestatem desideras? & hæc  
ipsi erat assignata ab Electoribus, recusata  
verò à JOHANNÉ GEORGIO, quippe qui  
